

Wienbibliothek im Rathaus

224847 B

MA 9 – SD 25 – 072006 – 54

Wienbibliothek im Rathaus

224847

B

MA 9 - SD 25 - 072006 - 54

Singifex?

CASTRUM DOLORIS

IN
TEMPLO HONORIS

QUOD

DEO Auspice, VIRTUTE Duce, FORTUNA Comite

Ad Exempla MAJORUM

Et Accensos DUODECIM LYCHNOS

Veluti

Totidem GRADUS

Introit Bibliothe*m. inscripta 1681.*

RAYMUNDUS

MONTECUCOLORUM SIDUS.

Sive

ORTUS, INSTITUTIO, VITA,
RES PRÆCLARE GESTÆ ET OBITUS
ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
DOMINI DOMINI

RAYMUNDI

PRINCIPIS MONTECUCOLI;

p. m.

TOPARCHÆ

In Hohenegg, Osterburgh, Gleis, & Handorff

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE MAJESTATIS
Consiliarij Intimi, Aurei Velleris Equitis, Consilij Bellici Præsidis,
Camerarij, Generalis Locumtenentis, Armamentariorum Præfecti,
Jaurinensis Arcis ac Confiniorum Gubernatoris,

Per DUODENA

AB IMO AD SUMMUM

Gradatim obita Bellonæ munia

DELINÉATA

Nominique ac Famæ Ipsiusmet HEROIS Sacra
Authore JOANNE PETRO à VÆLCKEREN, S. R. I. EQUITE,
S. C. Majestatis Consiliario Bellico-Aulico, Causarum Campestrium Audi-
tore Generali & Historiographo.

Viennæ Austriae, Typis Petri Pauli Viviani, Universitatis Typographi, 1681,

IV. 1719

Plerique omnes dolorem non patimur tantum, sed facimus Ipsi⁹met nobis, dum tristiores cogitationes admittimus: In luctu præsertim; Ubi Cruciatus blanditur sub specie Pietatis, Verum, hac acria quoque, & habentia austerioris aliquid, excitant desiderium MORTUI.

Attelus Stoicus.





DEDICATIO

ILLUSTRISSIMIS DOMINO, ET DOMINABUS,
DOMINO
LEOPOLDO PHILIPPO
COMITI MONTECUCOLO,
TOPARCHÆ IN HOHENEgg, OSTERBURGH
Gleis & Handorff, Equiti Ordinis Sancti Jacobi,
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CAMERARIO,
ET EQUITUM LORICATORUM TRIBUNO;
DOMINÆ ALOYSIÆ ANNÆ
NATÆ COMITISSÆ MONTECUCOLÆ,
ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI
FRANCISCI ANTONIJ WERCKA
SACRI ROMANI IMPERII COMITIS HOVORA,
DE DAUBE ET LEIPPA, HÆREDITARII IN RICHEN-
BURG, ROSTITZ, TATSCHITZ, GABEL, DELLNA,
NEMESLOWITZ ET SCHELSCHELITZ:
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARI,
Camerarij & Majoris Judicij Provincialis in Bohemia
Affessoris Lectissimæ Conjugi;
DOMINÆ CAROLOTTÆ POLYXENÆ
NATÆ COMITISSÆ MONTECUCOLÆ, &c.
ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI
JOANNIS JACOBI KYSL,
COMITIS IN GOTSCHEE, REIFFNITZ ET
PÖLNA,

PÖLNA, BARONIS IN KALTENPRUN ET IGANOWITZ,
Domini in Ober-Marburg, Hainfeldt, & Fahrenbergh, Supremi Ma-
gistri Venationum Hæreditarij Carniolæ Marchiæque Schlavoni-
cæ, uti & Comitatūs Goriziensis Hæreditarij Pincernæ,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CAMERARII,
& Interioris Austriae Consiliarij Aulico-Bellici,
dilectissimæ Conjugi.

DOMINÆ ERNESTINÆ
NATÆ COMITISSÆ MONTECUCOLÆ,
Nuptæ quondam

ILLUSTRISSIMO DOMINO
MICHAELI COMITI
ET DOMINO IN WEISSENWOLFF,
BARONI IN SON-ET ENSECK,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CAMERARIO,
& Superioris Austriae Consiliario Provinciali; p.m.

Nunc


ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI
FRANCISCI CHRISTOPHORI
KEVENHÜLLERI IN AICHELBERG,
Comitis in Franckenburg, Baronis in Landskrohn & Wern-
berg, Hæreditarij in Hohen Osterwitz & Carlspurg, Domini in Cam-
meren, Khogel, Mödling, Liechstein, Untragh, & Weyreck, Su-
premi per Carinthiam Stabulo Præfecti
Hæreditarij,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CAMERARII,
Et Supremi per Austriam ultra Onasum Venationum
Præfecti,

DESIDERATISSIMÆ SPONSÆ,
OMNIBUS

MAGNI RAYMUNDI
GENITORIS PIE DEFUNCTI PIGNORIBUS,
DOMINO ET DOMINABUS
MIHI GRATIOSIS.

Non



On mirabimini, credo, Herois Germina, Doloris hoc papyraceum Castrum, quod fama Genitoris vestri sacravi, id vobis à me dedicari.

Eccujusnam enim magis intererat immarcessibili Patris vestri famae sic litarū quam vestrā? Castrum Doloris è ligno sibi fabricare, testamento vobis prohibuit exosa pompam Patris modestia, me abstinerre non iussit hac chartā illud adumbrare grata in me ejus memoria: Vobis Religioni est parentare pro voto, Saculi more, tantis Manibus contra vetitum Patris; mihi dedecori non acuere stylum Laconicè in encomia Mæcenatis.

Suscipite ergo gratiosis vultibus hoc à me Castrum Doloris, quod Patri concinno in Templo Honoris: Patri ceu debita illi à me gratae devotionis Tributum; Vobis autem piam reminiscientia paternæ materiam, quam legatis, non lugatis: Neque enim lugendum censeo quidquam ejus in morte, cuius in vita invidenda sunt omnia: qui mortem honestavit vivens præclarè factis, & moriens se nobis reliquit in vobis, gratiosæ Dominæ, & Fratre vestro. Qui magni Genitoris non impar germen, Patrem animo vultuque præfert, optimâ utriusque parte, uti opum, sic & Virtutum ex aſſe Hæres. Te loquor, Illustrissime Comes Leopolde Philippe: Cui si lugere pomposè est vetitum; frui tamen ex hac lectione

licebit virtutibus, quas fama in orbe, memoria tuo in corde quotidie renovet Tanti Genitoris, qui ab infimo Manipulariorum ordine, summos militiae gradus emensus, promeritus est esse Princeps.

Volve isthac Cordate Comes, & genitorem ubique invenies: Infantem imprimis Raymundum, Puerum, Adolescentem & Juvenem: Sed hac omni Viro communia. At puerum videre in schola, adolescentem in armis, Juvenem in Castris, Tribunum in Campis; Specialia sunt.

Primusque gradus, quorum duodenos est Pater emensus, ut per Virtutis Templum, eluctaretur ad Honoris Fanum: Vis reliquos? audi: sed compendio.

2. Raymundus Vigiliarum Praefectus Generalis. 3. Camerarius Cæsaris. 4. Mareschalli Locumtenens. 5. Equitatui Praefectus Generalis & Sponsus. 6. Campi Mareschallus & Pater. 7. Consiliarius Status. 8. Augusti Locumtenens. 9. Armamentariorum per omnia Cæsaris Regna Praefectus. 10. Aurei Velleris Eques. 11. Bellici Consilij Praeses. 12. Raymundus Princeps. Qui placent hi gradus? Belle inquis: & merito. Hos Magnus Genitor Tuus emensus est cuius Mens magna, Eruditio elegans, gnava Fortitudo, Experientia sapiens, Posteris amulanda, antiquis invidenda vix parem habuere. Qui publico bono natus, publico vixit bono, annorum suorum molestiam tue tranquilitatis pretium faciens, suæque magnitudinis radios tibi transcribens, in quorum luce premas paterna vestigia.

Et facis certè: dum enim qua cum Patre participas, ut honorum stimulis, non alimentis superbæ uteris, assurgis in spem pateræ laudis, prerogativa fultus non vulgari, dum

ultra

ultra vulgus, tuæ etiam sortis non vulgarium virorum, eve-
ctus, Clavim gestas in isthac etate tua auream, & legioni
præs paternæ, gratiâ Cæsarî Tribunus: ob merita Patris sal-
tans compendio, quò Magnus Raymundus suopte debuit Mar-
te gradatim assurgere.

Sed macte animo Leopolde Philippe, macte agesis Nata
feliciter, & quam de te spem jam tum concepit Cæsar & Or-
bis, hanc imple.

Mirabantur multi deturbari ex Orbe potuisse p: m: Pa-
trem tuum, ceu Virum tanto virtutum & consiliorum pon-
dere gravem, tot trophyis onustum: at ego non miror, qui
virtutes suas, in te transfulerat, queis togæ ac sagæ olim ad-
diturus es pondus, requiem desiderasse, mortale admittentem
nihil, nisi quod mortuus sit. Hunc sequere, qui, dum vir-
tutem sequebatur in excelso sitam, non pervia omnibus ad il-
lam grassatus est viâ. Factus priuatis virtutibus clarus, Im-
peratorij fulgens, in rebus suscipiendis prudens, in exequen-
dis dexter & felix, consilio promptus, ratione circumspectus,
modesto vivendi splendore, experientiâ Orbis & rerum, Cæ-
sarum denique & Regum gratiâ totus fulgor & sidus.

Nec tamen habebat hac omnia Pater tuus, cum tuæ esset
etatis; scis enim fieri magnos, non nalcis. In prima etate
spirantem alta sanguinem dignis juvabat conatibus, capacis-
simamque indolem ijs artibus imbuebat, quas Aula in Nobili-
tate desiderat, Mars imperat, commendat Fama. Tu fac
similiter & amplam virtutum sementem (ne dubita) hono-
rum messis sequetur. Sic auguratur, qui de Te & Domo
tua bene mereri cupit, Idem Tuus & Tuorum, qui fuit Ma-
gni Raymundi Genitoris Tui

Obsequiosus & Syncerus Servitor.

Joannes Petrus à Vælkeren.

L E C T O R I.



Entiar, *Erudite Lector*, si tibi verbum h̄ic scribo non verum. Posteri nobis hanc felicitatem poterunt invidere, quod nos habuerimus *Raymundum Montecucolorum Principem*. Immo accusabunt rerum Naturam, quod tantum virum mortalem produxit, qualis aut omnibus Sæculis nasci deberet, aut nunquam denasci. Denatus *Ille noster est Lintzij*, tumulatus *Vienne* apud *Patres Societatis*, ut *JESU* propior fieret *Suo Salvatori*, qui Reges & Regna salvavit. Humatus est in Sacello, quod istic fundavit, sciens nullum fundum fertiliorem esse eo, qui *DEO* sacratur. Pegma istic, aut Sæculi more Doloris Castrum, nec superba funeralia vides: cavit Testamento, ne fierent, exosus posthumam honoris pomparam, qui vivus erat honorum satur: *Hæres Filius* invitus omisit, quod *in vita Patre* ut faceret, religioni duxit. Ego autem gratâ tanti *Viri* memoriâ, cuius mandatis octodecim annis obtemperavi viventis, præceptum non parentandi mihi quoque impositum esse haud credidi: quod Testamento cavisset, in quo nihil esse meum scio, nisi quod scripsierim. Præter ergo Tabulas Testamenti gratitudinem testatam volui, formavique Stylo meo *Heroi tanto* hoc Castrum Doloris, cui id prohibere ille non potuit: debitum namque gratitudinis meæ in tantum *Mæcenatem* obsequium non sivit me mei Juris tacere, *Hæredibus* ex præcepto tacentibus. Parento igitur *magnis Manibus* humili stylo; Lalconico tamen: ut in re longa sim brevis, utens privilegio Styli, cuius est multa paucis complecti. Scribentur illa suis locis ad longum; ubi *Imperatoris Historia*, quam ejus jussu concinno, scribentem vocabit ad singula, quæ nunc compendio tantisper adumbro: Ut videas, *Erudite Lector*, magna ejus *Mæcenatis* vi vi in me fuisse imperia, quæ me post mortem etiam urgent parentare non imperanti. Sed hic bonarum mentium ius est, cui semel obsequi assueverunt, bujus augmentum famæ pro præcepto habent. Nunc quando fundo fatis, ut vides, parentavi, ut potui, *Ipsum* quidem clementiæ *DEI* commendo; Te autem, *Erudite Lector*, hoc oro, ut nunc facias vivus ea, quæ moriens in Sepulchro cupis legi. Vale.

C A

CASTRUM DOLORIS ERIGIMUS MORTUO,

Qui vivus, ne fabricaretur,

Cavit Testamento.

Non fabricamus id malleo

In Templo Doloris;

Stylo adumbramus

In Templo Honoris.

Fabricare DOLORIS CASTRUM

Prohibuit ejus

Pompæ Parca modestia:

Stylo illud exprimere monuit me

Grata in me ejus memoria,

Lychnos accendo duodecim;

Ut totidem gradus

Lector aspiciat,

Quorum ab imo

Ad Summum Honoris apicem

RAYMUNDUS ascendit.

Sta ergò,

Si stare potes,

Qui

Nunquam non curris ad metam vitæ

Viator;

Sta inquam.

Et,

Sive Amor his Paganis oculos affigit,

Sive Curiositas allicit,

Legendi opellam ne invide,

RAYMUNDUS HIC JACET,

MONTECUCOLORUM GLORIA:

A

Cujus

*Cujus vita Historia est,
Omnibus Elogijs digna.*

Quia tamen nunc
Causam apud Mortis Tribunal amisit;
Te rogat,
Ut pro se appelles
Apud Triumphantorem Mortis,
SUMMUM JUDICEM.

Jam totum legisti:
Abi Viator.
Immo verò redi;
Plura leges.

Lectus à Cœlo **RAYMUNDUS EST,**
Ut à MONTECUCOLIS nasceretur.

Quæris,

Qualenam hoc genus sit?

COMITUM IN DUCATU MUTINÆ,
ULTRA SEX SÆCULA CLARUM:

(*Plura vix ausim scribere*)

His ortus **RAYMUNDUS,**
Anno Sæculi hujus VIII
Natus Ad vitam est.

Natura jam tum

Destinaverat ILLUM ad Publica:

Hinc

Ut citius alijs viveret;

SIBI

Ne Ephœbus quidem vixit,

Nam

Cunas vix egressus,

Cùm

Cum pueritiam literis transegisset,
In Germaniam missus est:
Ut istic adolesceret,
Ubi crevissent AGNATI,
MONTECUCOLI COMITES,
HIERONYMUS ATQUE ERNESTUS.

Quorum Alteri
COMMISSUS EST OLIM SANGUIS AUSTRIACUS,

Tyrolensem primo Status Ministro;

De Altero

Tormentariæ rei Magistro generali

Audi Hugonem Grotium, a

a In Hist. Hel.

Scriptorem illustrem.

,, Nunquam Res Ordinum

,, Pejori loco sunt visa,

,, Quam

,, Cum Ernestus Montecuculus Bataviam premeret,

Domesticis hisce Præceptoribus

Ut operam daret

RAYMUNDUS;

MISSUS AD HIERONYMUM ET ERNESTUM EST:

Eâ ætate,

Quâ Romanorum Lex

Legi statuit milites.

Ominantibus omnibus,

Aut Sæculi desiderium fore

RAYMUNDUM,

Si præcox deficeret;

Aut certum Decus,

Si

Si perduraret:
Eventus docuit.
Ætatis acerba,
Modestâ gravitate compensans,
Generosæ arboris indolem
Est imitatus:
Quæ
Spatium mitescendi
Internâ virtute præoccupat.
Quid exspectas Viator?

GENERALEM SUBITO VIDERE RAYMUNDUM?

Noli.
Neque enim tantis exordijs
Præparabatur **RAYMUNDUS** ad tanta,
Eluctaturus ad Maxima,
Profundioribus opus erat fundamentis,
Quibus tanta,
(Quam intelliges)
Honoris RAYMUNDIANI machina superstrueretur.
(Ut solent
Sublimiora in Cœlum Fastigia
Depressiori base fundari)
Manipularius miles **RAYMUNDUS** fit,
Omniaque sua,
(Id est arma)
Secum scapulis portat;
Subsidere etiam visus sub onere:
(*Nam peditem tunc, non Equitem*
Instruebat ERNESTUS)
Quando ejusdem cum ipso Ordinis pedes,

Post

Post Decurio,
Corporal Hans vulgò dictus,
Cœterà Anonymus,
Arma RAYMUNDI,
(*Herois olim futuri*)
Detracta humeris,
Suis impacta scapulis,
Ipse portavit,
Vicariâ ope, præfagâ mente:
Indignum ratus,
Hunc Adolescentem armis premi,
Qui Vir factus,
Cæsareis olim armis datus Imperator,
Suppressurus sic IMPERATORIS hostes.
Vera scribo.
Nam vidi Ego
Prognosten hunc Bajulum,
Baculo innixum,
Sisti RAYMUNDO PRÆSIDI:
Et ABS HOC,
Veteris beneficij memore,
Auro donatum Abire,
Cum lacrymis gestorum testibus:
Quas, dum fudit, movit.
En, Lector,
Humilia humilis RAYMUNDI vestigia:
Unde
Tanta creverunt crescentis fastigia.
Humile fuit,
Inter Manipularios
B
Mani-

Manipulariorum sorti committi;
Stare in excubijs ERNESTI NEPOTEM,
Qui

ERNESTO major erat futurus.
Quid iterum exspectas?

PRÆSIDEM subitò venerari RAYMUNDUM?
Exspecta:

Neque enim hæc subitò speres abs Eo,
Cui per gradus eundum est.

Non enim eò statim usque RAYMUNDUS profiliit,
Qui *Desultorius* factus est;

Desultoriorum Signifer ex Manipulario milite.

Inde

Cataphractorum ambiens disciplinam,
Locumtenentis munus obivit:

Ex Locumtenente creatus Centurio;

Vigiliarum etiam Praefecti munere

Functus pedes est:

Eo defunctus,

Equum repetijt,

Factus Locumtenens HANNIBALIS GONZAGÆ,
Quanti Viri?

Donec videretur

Frustra agere alienas vices,

Qui

Pro se IPSUS rem administrare novisset:

Præesse debere,

Qui subesse jam satis didicisset.

Et exinde

RAY-

RAYMUNDUS factus est
EQUITUM LORICATORUM TRIBUNUS.

Vide jam Lector,

Per quantilla initia

Præpararetur **RAYMUNDUS** ad tanta?

Credo;

Vt haberet olim Militia Advocatum

Tentatum per omnia:

Nam,

,, *Qui tentatus non est, quid scit?*

Certè tentabatur **RAYMUNDUS**;

Qui

Dura dura exordiebatur à teneris:

Nisi fortè durum haud sit,

Procul à Patriæ finibus,

Ematris sinu apud exterros

Manipularium more,

Arma humeris gestare,

Stare in excubijis,

MONTECUCOLUM esse,

ERNESTI NEPOTEM esse,

Et peditem esse.

Proficisci in ordine gregariorum ritu,

Equo carere,

Prandere cum Domesticis

Seorsim à Patrui Mensa,

Quoadusque Signifer esset.

Certè certè dura:

Et tamen his duris **RAYMUNDUS** est usus,

Ut

*Ut gloriae stimulis;
Virtutem sequens monentem:
,, Dura Juventutis experimenta,
,, Magnæ esse fortunæ præludia:
,, Solere Naturam,
,, Quæ pretiosiora sunt,
,, Involvere asperis,
,, Rosam Spinis,
,, Aurum rupibus,
,, Unionem Conchæ:
,, Non, ut prohibeat invida,
,, Sed,
,, Ut non det, nisi promeritis.*

Dura hæc supergressus

RAYMUNDUS EQUITUM TRIBUNUS,

Vt se totum jam CÆSARI dedicaret,
Se sibi eripuit.

Et siderum more nunquam quiescens,
Majorum suorum premens vestigia,

Vt fieret par meritis;

Quem Sanguis fecerat parem Natalibus;
Horumque splendorem

Ab Avis, Abavis, Tritavisque
Et ultra Acceptum,

Vt transmitteret auctiorem ad Posteros;
Turpissimum ratus Naturæ monstrum

*Nobilem esse & ignavum:
Cujus,*

*Cum Sanguinis privilegio plurimum posse
Caput inertiam torpeat,*

Cul-

Cuique

*Cum Natura dederit prærogativam prosapia,
Non eniti ad virtutis trophyum,*

Hoc egit,

Ut suæ Legioni mox leges daret:

Daret?

*Immò verò in SE exprimeret.
Docens exemplo sibi subjectos
Disciplinam Joannis docentis
„Milites estote contenti stipendijs,
„Neminem concutiatis, &c.
Procul omni cupiditate habendi,
Tantâ manuum abstinentiâ,
Ut, cum ultra,
Quàm quò stipendum frugale porrigeret,
Sumptus erogare non posset,
Etiam haud ambiret,
Unde factum,*

Ut manibus mundis RAYMUNDUS

*Ferrum fortius stringeret,
Quoties in hostem stringendi daretur occasio:
Jam tum,
Ea præbens prudentiæ militaris
Fortitudinisque specimina,
Quæ
In Heroibus aliás sæpe
Sunt Veteranæ Virtutis Insignia;
Hinc novus honos.*

GENERALIS VIGILIARUM MAGISTER DECLARATUR

R A Y M U N D U S.

C

Utque

Utque celebres Majorum laudes
Cumularet suâ virtute,

Copulavit Aulicum Militi,

AUREA CLAVI

DONATUS A CÆSARE.

Credo, ut,

Quoties in futurum

Tectis insidijs sua occluderet

Contra AUSTRIACOS

Hostis consilia,

MONTECUCOLUS clavim haberet,

Quâ Referaret secreta.

Nisi fortè videntem facere malis

Ex CÆSARE:

Qui

Angelum magni Consilij

RAYMUNDUM fore præviderit,

Et Duce

Secreti tenacem,

Non aliâ clave recludendi,

Quâ CÆSARIS,

QUI

Totam consiliorum suorum exedram

Olim esset

In Pectore RAYMUNDI Clausurus.

Nunc

GENERALIS VIGILIARUM MAGISTER

Satagit prodesse,

Dum præst:

Vigilare vigil ipse suos docet,

Hostes

Hostes cogit.
Suos vigilare docet,
Dum ostendit prævertere hostis insidias;
Cogit vigilare hostem,
Dum struit illas
Haud opinanti.

NAMSLAVIAM SILESIÆ testor,
Obsessim à Suecis,
Anno Sæculi hujus quadragesimo quinto.

Hanc
Oppugnabant Suecorum octo millia.

Propugnatore Reichenavio
Hodiedum superstite & Tribuno:

Hic,
Desperato succursu,
Hosti herbam porrecturus erat:
Cùm, ecce tibi,

RAYMUNDUS NOSTER

Ductis post se
Tantū duobus equitum millibus,
Per avia Silvarum & invia
Viam sibi non tritam aperiens,
Namslaviam venit non exspectatus Hospes:
Eqüe improviso
Obsidentes aggressus,
Sternit, cædit, profligat.
Consternati
Cùm nescirent, quid priùs,
Quid posterius agerent;

Unum omnes agunt:
Obsidionem solvunt, & fuijunt,
Relictis Victori tormentis,
Et Impedimentis:
Credo;
Ut expeditius fugerent;
Vigilaturi imposterum melius;
Ne à tali Vigiliarum Magistro
Sapius vigilare cogantur.

O Virtus! ò gloria:

Quid mirum, Lector?

SI TALEM VIGILIARUM MAGISTRUM

Comitetur Fortuna?

Miles amet, non timeat?

Hostis timeat, quem odisse non potest?

Visa tamen est Fortuna Mater

Novercam induere:

Quando

RAYMUNDUM destituens,

Dedit Captivum Suecis;

Nescium,

Ipsammet hanc Captivitatem

Sibi frugi fore.

(„*Ut solent timentibus DEUM*

, Omnia cooperari in bonum)

NAM RAYMUNDUS

Stetinum à Banniero deductus,

Istic quidem hæsit biennio:

Nolebant enim Sueci

Tantum Virum

Pecu-

Pecunia Scoreâ,

Ceu litro redemptum

Ad suos remittere:

Servandum ducebant:

Donec Suecorum aliquis similis illi,

In manus fortè Cæsariensium incidens,

Faciliorem impetraret eliberationem sui,

Si MONTECUKOLO compensaretur,

Quem tantoperè repeterent sui,

Subdolo tamen,

Nec inutili Suecis consilio:

Qui scirent,

Consilio & manu RAYMUNDI

Cæsarienses interea carituros:

Uti factum eo biennio est:

Quoadusque Schlangius eorum,

Prope Fridburgum ad Saltum

Factus Captivus

Redderetur in **RAYMUNDI** vicem.

Qui credis autem

Captivitatis tædia

Sibimet lenijſſe **RAYMUNDUM?**

Audi:

Tempus ei erat pretiosum,

Quia sapientiam habebat in pretio:

Propterea,

Ne Captivus languesceret otio;

Negotiosum se Captivus fecit,

Libros acquirit:

D

Discit-

Discitque à mortuis scientiarum Magistris

Vel inter Hostes Captivus,

Quæ Liber inde factus

Liberius erat exercitus in Hostes.

Loquebatur cum Tacito,

Et discebat Politicam:

Ingressus Euclidis Elementa,

Recedebat Geometra:

Vitruvij Præcepta volvens,

Fiebat Architectus:

Jurisprudentiæ fontes indagans,

Æstuansque Justitiæ siti,

Æquitatem hauriebat ex Codice:

Nec Thomæ ignarus,

Nec Galenum omissens,

Nec Aphorismos Hypocratis:

Verbo.

Stetinensis Captivitas

RAYMUNDO Schola fuit:

E qua tantus Vir exivit,

Scientiarum omnium gnarus:

Queis Juniori,

Post delibatas humaniores Musas,

Militiæ statim dato

Inhiare non licuit.

Literarum semper exinde

Cultor in SE,

Promotor in alijs.

Egressus autem ex Ergastulo

RAY-

RAYMUNDUS

Ferrum
In Captivitate hebetatum,
Quod
Hostili potius sanguine reacuere maluisset,
(Saltem debuisset)

Induci se passus est,

Ut in Socium stringeret.

Fuerant Captivitatis Socij

Pompejus Comes & Broijus,

Schleinitzius etiam Henningiusque Barones:

Nescio,

Quid tricarum intricaverint Chartæ;

Schleinitzius

Alapam impingit Broijo:

Hanc

Captivus Ille

Coactus portare inultus est.

Ulturus liber,

MONTECUOLUM orat Patrinum;

Henningium Schleinitz,

RAYMUNDUS

Honori sibi tum ducens,

Quod tantoperè posteà inhibuit alijs,

(Quamvis Immorigeris)

Non renuit Spartam;

Adstat Broijo lælo

Contra lædentem Schleinitzium,

Stipatum Henningio:

Fit inter duos Duellum,

Quo

Quo
Schleinitzius læsus sub femore,
Sanguine abluit
Factum in Militem non sat militare.
Potuissentque reconciliari momento;
Nisi
Viso Schleinitzij sanguine,
Sanguis ebullijsset RAYMUNDI
In intrepido pectore:
Henningium provocat
(Nullâ quantumvis datâ noxâ,) Ad noxium moribus Christianis
Duellum.
Provocatus Henningius
Manu promptus congreditur:
Impar autem
Armis per **RAYMUNDUM** exutus,
Se Victum agnoscit.
Tumque **RAYMUNDUS**
Conciliat animos omnium,
Qui omnes in arenam descenderant.
Ipse autem
Cùm
Nullum jam obsequium sentiret difficile,
Nullum Imperium sterile,
Novo auctus Cingulo,
Novum scandit Dignitatis gradum,
DICTUS A CÆSARE
GENERALIS MARESCALLI LOCUMTENENS:
Gratulantibus sibi

GELE-

GELENIIS, GALLASSIIS,
HOLTZAPFELIIS, HATZFELDIIS,
(Omnibus Campi Marecallis)

RAYMUNDUM esse,

Cui ^{vices} Viro deinceps suas

Tutò possint concredere:

Ceu ^{viro} fortis,

Impavido pectore,

Solerti, Prudenti, Circumspecto:

In quo excelsa omnia,

Nihil mediocre;

Ne corpus quidem.

Suavissimis tamen moribus,

Miscebat Authoritati Modestiam,

Grato,

Nec usitato omnibus temperamento;

Adeo comiter,

Ut

Invidiam oppimeret, non invidos:

Unde,

Quem apud pares habebat amorem,

Hunc habebat apud majores favorem:

Saltem,

Ut haberet, dignissimus.

Nam

Publicè sibi obligabat Omnes,

Privatim Singulos.

Digniori hoc militari Cingulo

Cinctus **RAYMUNDUS**

Majoribus se servijs alligari sciens,

E

Majo-

Majora est ausus,

Junxerat se Turenius

Suecis & Hassis

Hassiam inter & Wetteraviam

Anno MDCXLVI.

Inde

Varijs circumacti itineribus,

Signa in Bohemiam vertunt,

Tribulantque Tribeliam.

RAYMUNDUS NOSTER

Unà cum JOANNE DE WERTH,

A DIVO FERDINANDO,

Qui Pilsnæ substiterat,

Cum octo Equitum,

Peditumque millibus binis

In Hostem immissus,

Cum iter per vallum cava fecisset,

Inobservatus Suecis,

Obvias habet

Sedecim Inimici phalanges:

Quas omnes

Felicius dicas, an fortius?

Ita cecidit & stravit,

Ut vix superesset Nuncius pugnae.

Vrangelius,

Quem furiosum vulgo vocabant,

Istic occubuit.

Labara decem ac quatuor

Abs Hoste reportata

Ferdinando Pilsnam remissa sunt.

Non

Non incruenta tamen
HOLZAPFEL

Stetit hæc

RAYMUNDO Victoria:

Læsus Ipse

Equum etiam, quo vehebatur,

Trajectum indoluit.

Hoc præstans!

Sed præstantius illud, quod sequitur.

Stratum ponte Danubium

Laubingæ transibant cum suis,

Anno Sæculi XLVIII.

Vrangelius, Königsmarkius, Turenius;

Petebantque Augustam.

His

Ut anteverteret Holtzapfelius,

Idem & ipse legit iter.

RAYMUNDUM eligens,

Ut Equitatu clauderet agmina,

Hostis,

Qui prior accellerat,

Occupatis viarum angustijs,

AUGUSTI ad **AUGUSTAM** armis

Infestus fit:

Plumbeâ grandine

Depluens in Cæsareos

Tam spissè,

Ut millia caderent, hisce fabis attonita:

Et

(Quod caput est)

Ipsum Caput Militiae

HOLTZ-

HOLTZAPFELIUS MARESCALLUS.

Cadente hoc Capite,

Membra quâ starent?

In eo res erat,

Ut tota pessum iret,

Nisi

Resumpto

Qui HOLTZAPFELIUM destituerat, spiritu,

Succollans Marescallo,

(Cujus erat Locumtenens)

RAYMUNDUS,

Reanimâsset examinatum Exercitum,

Dum Hosti semet & Equitatum opponit,

Velitationibus,

Dexterè ac feliciter habitis, detinet:

Quoadusque Peditatus,

Ultra Scmutterum Amnem

Traductus,

Sub mœnibus Augustæ,

(Quò ingratijis HOLTZAPFELII,

Gronsfeldius Bavariæ Marescallos

Jam ante penetraverat)

Tutus consideret.

Tum enimverò RAYMUNDUS

Telam, quam texere prudenter inceperat,

Æque prudenter absolvit,

Qui enim

Pedites tuto loco locavit,

Cùm jam Equitibus solis

Spolij nihil

Hosti

Hosti posset detrahere,

S E M E T,

Hosti subtraxit.

Admirantibus ipsiis met Suecis,

Tantam IN MONTECUCOLO

Rei bene administrandæ solertiam.

Qui

Magnam verè Victoriam reportâsset

CEDENDO, NE CÆDERETUR.

Sapiens enim erat **RAYMUNDUS:**

Sciebat,

Ubi facere non possis, quod velis,

Sat esse,

Si hoc agas, quod possis.

Scribi non potest,

Quantum latitiæ **CÆSAR,**

Quantum **MAXIMILIANUS BAVARUS**

Armorum Socius

Inde conceperint,

Quantum laudis **RAYMUNDUS**

Sustulerit:

Præficiendus jure merito

EQUITIBUS GENERALIS,

Qui **EQUITATUM** tam prudenter & dexterè

Dirigere noverat.

Sed hoc fiet, cùm bella erunt:

Nunc

Pacem, sub hæc, dederat

ORBI WESTPHALIA.

F

Unde

Unde
Feriari jam Miles,
Et vertere enses in vomeres,
Proceres Aulam colere,
Quiete frui & otio.

S O L U S R A Y M U N D U S .

Æqualem in diversis temporibus
Animum gerens,
Nec belli Injurijs fractus,
Nec
Debilitatus pacis illecebris,
De bene vivendi, beneque merendi studio,
Ne quicquam remisit:
Sed
Siderum more inquies,
Ut ex ipsomet hoc pacis otio,
Negotium faceret,
Iter suscepit,
Peragratâque Germaniâ totâ,
Et Belgio universo,
Unâ cum Itineris comite
Comite Æneâ Caprara,
Navim concendit,
Hamburgo solvens in Sueciam:
Prælagus, credo, futuri;
Ut Gentem & mores inspiceret coram,
Cum qua paucis post annis
Sibi iterum res esset futura

R E G I N Æ C H R I S T I N Æ

Imprimis gratus:

QUÆ

QUÆ

Suspiciens magnas virtutes

In Viro magno,

Magna illi præbuit

Munificentia Regalis argumenta:

Cupiens

Suī apud RAYMUNDUM memoriam

Vigere semper in pectore,

SUAM EI EFFIGIEM

Margaritis pretiosè distinctam

Appendit AD PECTUS.

Patrios inde lares lustraturus,

Ut illustraret, quantumvis illustrissimos,

MUTINÆ EXCEPTUS,

Suis acceptus,

Virtutum

In se solo & uno

Detexit Exercitum:

Quo circumdatus,

Perfecti Herois Ideam circumferebat in vultu,

Mox omnibus à se numeris absolvendam,

Emicabatque tantus in RAYMUNDO

Virtutum vigor,

Tanta præstantia,

Ut nec in ludicris posset abscondi.

Ardebat nuptialis MUTINÆ DUCIS TÆDA,

Utque magis lucesceret,

Inflammabantur animi Procerum

Ad virtutis certamen.

Indicitur Hastiludio dies;

Nobi-

Nobilitas convolat:
Indigenæ adsunt & Advenæ,
Reportaturi Honoris bravium,
Honorem ipsum.

Concurrunt in stadio Equites Cataphracti,
Committuntur hastæ & lanceæ,
Fortitudinem suam quisque exserit,
Ut præbeat vigoris exemplum.

Intrat & in scenam **RAYMUNDUS**

Cataphractus, lacertosus,
Corpore procero & valido:
Nec erant omnes,

Ut cum EO aleam jacerent.

Unus erat Malzanius Comes,
Vir fortis & animo magno,

Qui contra **RAYMUNDUM**

In arenam descenderet.
Datur signum Certamini,

Concurritur in stadio,

Committuntur in medio stadij Hastæ,

Moxque

Suam **RAYMUNDUS** librans,
Impingit

In loricatum Antagonistæ pectus

Tantâ vi, vigore & impetu,

Ut non sustinens impetum Adversarius,

Una cum Ephippio

Elitus ex equo

Sterneretur humi,

Hoc parum est:

Equus

Equus ipse ex impetu tam lacertoſo

Tremulus,

(Equo RAYMUNDI æque titubante)

Collapsus in terram est.

Et hoc plauſu exceptum & gaudio,

Fortitudinis præmio:

Belleque haſtenus omnia :

Niſi

Ultima gaudij occupaſſet luctus.

Nam

Impacta

In Manzanij pectus lancea,

Et confracta

Festucam culpidis ſuæ

Galeæ inter & loricæ juncturam

Cafu inferuerat cadentis collo

Tam alto vulnere,

Ut cum ſanguine exhalaverit Animam.

Disce, Viator, duo:

Unum eſt,

RAYMUNDI fortitudinem

Vel per ludum exſertam

Adversarios sternere:

Alterum,

Mortem etiam in rimis eſſe.

RAYMUNDUS autem

Nunquam in vita victoriæ indoluit,

Niſi huic,

Quam contra mentem

Funestus obtinuit;

G

Plau-

Plausum tamen promereri visus
Victor in luctu.
Revocatus ex Italia
Morte E R N E S T I,
Futurus ejus ex Testamento Hæres,
CUJUS EX FRATRE NEPOS
Olim Discipulus fuerat:
Ut,
Cujus disciplinam
Adolescens admirerat;
Hujus etiam Hæreditatem
Vir factus adiret,
In Germaniam redux
Dynastiâ Hohenneggianâ potitus est,
Dictus
A DIVO FERDINANDO
MAGISTER EQUITUM GENERALIS.
Eâ Dignitate fulgentior,
Et ditior Hæreditate,
Circumspicere prudenter cœpit,
Eccuinam junctus Viragini,
(Fortunæ Consorti)
Hæredes susciperet,
Ad quos olim hæreditatem transmitteret.
Potuisset Italia
Suppeditare Lucretias:
Sed malebat Germanæ indolis Sponsam,
Qui apud Germanos
Sibimet fabricarat fortunam.
GERMANAS INTER

Quan-

Quantumvis sat sciret
Vix ullam fore,
Quæ sibi se junctam nollet,
Noluit tamen ex tanta Unionum copia
Seligere,
Nisi

MARGARITAM.

ERAT HÆC INCLYTO
PRINCIPUM DIETERICHSTEINIORUM
SANGUINE Creta,
MAXIMILIANI PRINCIPIS
SUMMI IMPERATRICIS AULÆ PRÆFECTI
FILIA,
FERDINANDI PRINCIPIS
SUMMI
(EXEMPLO PATRIS)
IMPERATRICIS AULÆ PRÆFECTI
SOROR,
ET SEXUS OLOR.
Educata in Genycæo
ELEONORÆ MANTUANÆ AUGUSTÆ;
(*Unde quid potest, nisi virtus exire?*)
HAC MARGARITA
Ut ornaretur **RAYMUNDI** Thorus,
Ipsam Ille ornat casto Conjugio,
VIDUA PARANYMPHA,
SED AUGUSTA.
Cujus ex Aula Domum deducta,
Dum **RAYMUNDO** Cohabitat,
Vt gentem multiplicet;

Multi-

Multiplicavit DEUS lætitiam,
RAYMUNDUM determinans,
Quem
LEOPOLDUS FERDINANDI PATRIS SUCCESSOR,
Carolo Gustavo opponat
Poloniā devastanti.
Oppositus Illi,
Decedente Hatzfeldio,
Declaratur
IPSE CAMPI MARESCALLUS:
Vitus ad dignitates portari;
Qui
Primas DEO, secundas CÆSARI daret.
Conscenso autem hoc novo honoris gradu,
DEUS BONE!
Quantam laborum, molestiarum
Curarum ac sollicitudinum segetem
Sub uno hoc MARESCALLI nomine,
Tectam deprehendit?
Sed
Facile vicit hæc omnia,
Qui
In labore Voluptatem, Delicias in Molestijs,
Otia in Negotijs possidebat.
Hoc tamen egit imprimis,
Ut post Rakozzium castris exutum,
Ejectis Cracoviâ
Malæ ejus fidei possessoribus Suecis,
Fidei redderet **CASIMIRI REGIS**
REGNI SEDEM:

NUTANTEM in vertice ejus CORONAM
Sic refigens,

Quâ refixa,
CAROLI REGIS SOCIMUM,
POLONIAE FIDUCIARIUM ELECTOREM
CASIMIRO redemit,
Totâ Provincia Ducali Prussiâ
Relictâ Electoris arbitrio,
Quæ hactenus steterat REGIS.

Studuit enim semper
Et effecit sape RAYMUNDUS,

Vt
Principum exterorum amorem,
Cum sui CÆSARIS utilitate
Connecteret.

Auctus hoc Socio,
Cùm fœderatum Heri sui

FRIDERICUM DANIÆ REGEM

Ejectus Poloniâ
Lacesleret CAROLUS,

Illac ivit suppetias;
Calcantisque constricta gelu MARIA
Premens vestigia;

(*In clementissimo sub frigidissimo climate cœlo*)

AT HOLSATIAM,
INQUE HOLSATIA GOTTORPIUM
DUCATUS METROPOLIM

(*Electore Proxeneta*)
Sub LEOPOLDI fidem mittit:
FRIDERICO DUCE

H

Suecia

Suecia Regis Socero

Certâ lege

TONNINGAM remisso.

Inde

Alsenam Insulam mari vectus expugnat,

Deletis Suecorum millibus quatuor.

Quēis Aſchenbergius prærat:

Eāque usus victoriâ,

SONDERBURGO incumbens,

Insulæ Capiti,

ET NORDBVRGO

Principum fœminarum sedi dicato,

Vtrisque sine cæde potitur:

Et, quod mireris,

IPSAM OEDAM FRIDERICI

Non pugnans expugnat:

Dum eam vix adhuc circumvallatam

Destituunt præsidiariorum millia quatuor:

Qui pér posticum elapsi,

Sunt trans mare vecti.

RAYMUNDUS

Ita auctus victorijs,

Augetur & Prole:

Primo Conjugalis lecti pignore,

ALOYSIA ANNA DICTA

FRANCISCO ANTONIO

COMITI WERCKÆ post nuptâ.

Datisque

Privato huic Baptismali gaudio

Diebus pauculis,

Publi-

Publica repetit:
Relictâ post se puerperâ,
In Fioniam penetrare Navigijs
Tentat RAYMVNDVS
Ipse Argonauta,
Ipse Ulysses.
Sed ad antrum Polypheimi deductus
Parum abfuit,
Quin mortis istic Victima caderet;
Læsus in tibia trabis vestucâ
Quam
Tormenti globus à nave avulsam
Tibiæ **RAYMVNDI** impegerat
Tantâ vi,
Ut scipionem simul excuteret manibus
Cui innitebatur.
At erravit,
Qui tormentum exploxit.
Non nitebatur scipione **RAYMUNDUS**,
Sed virtute:
Hanc oportet, excutias;
Quicunque cogitas **RAYMVNDVM** sternere.
Stabat ejus invicta Virtus;
Scipio cadebat & Corpus,
Quo cadente,
Cùm multi jam cecidissent ante,
Et caderent plures,
CEDERE visum est expeditius,
Quàm ultra CÆDI:
Si fortè,

Resti-

Restituto sibi RAYMUNDO,

Interruptum hoc opus

Postliminio reassumeretur felicius;

Ut factum est:

Non quidem praesenti RAYMUNDO Corpore,

Sed anima;

Id est Consilio:

Quod observatum deinceps,

Eos peperit Rerum

Fortissime & felicissime gestarum

Eventus,

Queis

Jutiâ demum superata

Omnis istic Militia Suecorum

Aut cæla aut capta:

Neoburgum Insulæ Caput

Deditio facta subactum est.

Nemo immunis mansit;

NISI PHILIPPUS

COMES PALATINUS, SULSBACENSIS PRINCEPS,

ET STEINBOCKIUS GENERALIS:

Qui singulis singuli consensis scaphis,

Singulis sibi servis assumptis,

Captivitatem evaserunt,

Aut necem;

Relictâ Victoribus Supellectile universâ,

Et hæc quidem

Liberatio Hafniæ fuit,

Cui

Audaciores per hanc victoriam

Facti

Facti jam Batavi
Ausi sunt,
Pugnatâ feliciter navalî pugnâ,
(Ringentibus Suecis,
Sed non sine strage)
Inferre viros, Arma, Annonam,
Et hæc quidem hactenus
Leopoldo Rege.

Coronatus autem Imperator,
Cùm Septentrioni referret
PACIS OLEAM,
IN OLIVIS carptam,
Cui pax Pyrenæa præluserat;
Et Daniæ quoque Regis vertici
CORONAM REPOSUIT,
Quam refixisse dici RAYMUNDUS potest
LEOPOLDI AUSPICII.

Redux

Post pacem Arctois procuratam
RAYMUNDVS,
Cùm
Altero Margarita partu
Esset Enixa Pragæ
CHARLOTTAM POLYXENAM
COMITI KISELIO HODIEDUM NUPTAM
Gloriosum se stitit CÆSAREÆ AULÆ

Gratulanti sibi

Tum

De tanto tamque feroci
Septentrionis Bello

I

Forti-

Fortiter per RAYMVNDVM,

Auspicijs LEOPOLDI,

Confecto;

Tum

De servato HEROE majoribus reservando.

Nam ecce:

Vix cessaverat RAYMUNDUS pugnare pro Regibus;

Et iterum

Mittitur pugnare pro CÆSARE:

Istic,

Ut Coronas recuperaret,

Hic,

Ut servaret.

Rakozzium persequebantur Turcæ

Ut Rebellem sibi,

Quod bellasset contra Polonos pro Suecis.

Malè quidem miser erat multatus,

Deletis triginta bellatorum millibus,

Vix cum quadringentis suorum

Servatus:

Sed indocti Christi legem Barbari,

Affictionem afflito addendam

Rati,

Exuendum planè decernunt

Transilvaniæ Principatu.

Involvebat ea calamitas Ungaros

Et Ungarorum Regem

CÆSAREM LEOPOLDUM.

Iverat SOVCHIVS,

Vt retunderet tela,

Et

Et fecisset,
Si Pontifex istius anni fuisset:
Sed

Causa hic reservatus erat
Pro Aſſertore Regum

R A Y M U N D O.

Expertus quippe fuerat
LEOPOLDVS,

Non modò felicitatis votum;
Sed

Ipsius etiam voti fiduciam,
Firmare ac sustinere

R A Y M U N D U M.

Eamque voti fiduciam
Ut sustineret melius atque firmaret,
Aulæ intimum

AD INTIMA QVOQVE CONSILIA CÆSAR adhibuit:

Nec enim erat,
Cur animi secreta eum celaret,
Cui
Sceptra & Coronas credidisset.

Compensaturus sic remedia

A R A Y M V N D O

Gravissimis ſæpe
Et

Deploratis non raro rebus inventa,

Primum autem,

Quo

In Turcarum hoc bello

Suæ

Suæ mentis intenderet aciem,

Hoc fuit,

Vt

Hostium consilia exploraret solers,

Impediret cautus.

Cinxerat Ali Bassa

Transilvaniæ Munitionem

Huistium,

Speque devorabat ut suam.

Illuc accurrens cum Exercitu

R A Y M V N D V S,

Explicatis per viam agminibus,

Eo se ordine cautus huc egit,

Qui indicium faceret

Archistrategi,

Propediem volentis configere.

Timore percussus Bassa,

Obsidionem ocyus solvit,

Et tranat Tibiscum.

R A Y M U N D V S cedentem insequitur,

Superatoque eodem ipsus amne,

In eas redigit Baslam angustias,

Vt Campum **R A Y M V N D O** relinquenter.

Quo

Claudiopoli ille, Samosvivariæ,

Alijsque munitis Locis

De annona virisque providit,

Munitio Fogaras

Mediam secante viam,

Qua

Viennæ

Viennâ Constantinopolim iter est,

Afflertâ

AUSTRIACIS AQUILIS,

Ut

Securiùs illæ in futurum

Unâ cum Transilvania

Hungariam quoque universam

Suis alis protegerent.

Deserebant inde Transilvaniam Turcæ

Reductis in sua copijs:

Credo, ut reficerent.

Idem facturus RAYMUNDUS,

Et

Suum is Exercitum

In Hungariæ Campos retrotrahit,

Ut

Exhaustos miserijs & egestate viros

Refocillaret.

Sed Pannonus

(Polonis moribus cognata) Gens

Liberatorem sui Ucagontis

Exercitum

Amovere à se, non reficere cupida,

IMPERATOREM Importuna exorat,

Ut

Austriæ is suæ

Molestem hoc reparationis onus imponeret,

Malo,

Quo Varadini postea,

Zeckelheidæ, aliarumque Munitionum mala

K

Facta

Facta sunt irreparabilia.

RAYMUNDVS autem in Austriam redux
Cum plausu recipitur.

Sed

Quia plausus hic Hominum erat
Moventium sape, non promoventium semper,
Ut

Plenior esset Laus VIRI,
CUI nulla Laus tribui non debita posset,
DEUS illam

*Ex ore Infantis & Lactentis
Perfecit.*

Infantem enim Illi
Conjux pepererat,

Dum **RAYMUNDVS** in Transilvania pugnat,
UNIONEM MARGARITA, :
FILIUM PRIMOGENITUM,
LEOPOLDUM PHILIPPVM
Sacro fonte dictum,

Levatum A CÆSARE.

VNIONEM dicimus,

Quia UNICVS est,

Qui vixerit, vivit, & vivet

TANTI PATRIS

Ex aste HÆRES.

Sicque iterum

Multiplicans MARGARITA Gentem,
Multiplicavit **RAYMVNDI** lætitiam.
Merito,

Prætagiebat enim,

Qui

Qui non vivere semper se posse sciret,
In altero SE
SE fore superstitem.
Transactis Puerperij diebus,
Dum Turcarum motus stant in ancipiti,
Goësio & Renningero pro pace
Laborantibus,
Sed delusis,
Vt docuit tempus;
Suæ Spartæ invigilaturus RAYMVNDVS,
Jaurinum abit.
Vt concreditis suæ fidei istic
Vngariæ finibus
Ita provideat,
Ne istac (qualiscunque demum) turbo
Implicaret Hungariam,
Detimentum Respublica pateretur.
Restauravit Arcem, reparavit valla,
Annonam convexit, Militi providit,
Lapsa erexit, firmavit infirma,
Administravit Justitiam,
Verbo:
Implevit totum id,
Quod in GUBERNATORE dici Virtus potest:
Ytque sic Annus fere.
Donec Castrum, quod vocabant, Zrinium
A Nicolao Comite recenter exstructum
Ad Muræ ripam,
Turbaret Quietem.
Namque Hoc Castrum nomen,

Quod

Quod

Congestum arenæ tumulum rectius dixeris,
Tantum potuit in limis Barbarorum oculis,

Ut

Vel inde,

Ceu fractæ pacis Idolο,
Irritati;

Vltionem pararent Hungariæ univerſæ,
Quippe,

Budā in Hungariam,
Mittit Sultanus,

Centum & quinquaginta mille
Virūm exercitum,

Achmet Bassâ Ductore,

Vt Uivarinum expugnet.

Quod,

Ne tentaturum quidem fuisse
Credebant multi;

Nisi

Barckanæ contra Strigonium sitæ
Animosiùs, quàm circumspectiùs
Hostem laceſſivissent

Illi, qui iſtic præerant :

Facta eruptione non maturâ

Maturantes loci in ripa Nitriæ siti

Deditioñem:

Postquam

Præſidiario Milite

Secum in Hostem educto,

Et cælo,

Uiva-

Uivarinum Propugnatoribus denudâissent.

Et

Vt solent, dato uno absurdo, sequi multa alia:

Sic accidit;

Dum enim

Uivarinum expugnatur & deditur,

Tartarorum foeda colluvies

Immixta Turcis,

Nitriâ Marchiâque tranatis,

Prædas agit

In Hungaria Posonium,

In Moravia Brunam usque & ad Silesiæ fines

Omnia passim igne & ferro vastans,

Deductis multis Christianorum millibus

In Captivitatem.

R A Y M V N D V S

Rem eminus cunctando egit,

Ut potuit,

Hujus Sæculi Fabius:

Nam

Quòd cum senis virorum millibus,

Quos solos numerabat sub signis,

Apertè & cominus

Haud posset retundere

Inconditum Barbarorum Victorem gregem,

Sat habuit præcavere,

Ne in Austria hybernaret.

Auctus interim ipse

Prole novâ

Filiâ tertio-genitâ

L

ERNE.

ERNESTINA

Weissenwolfo Comiti primū,

Mox Viduā,

(Hodiedum dum hæc scribimus)

Kievenhillero recens Viduo

Desponsatā.

At Turcæ

Uivarini deditioне tumidi,

Cùm in suo hybernâssent,

Vere ineunte,

Ut ad alienas jam Sepes alligarent equos,

Devorabant spe Hungariam,

Nidore ipsiusmet Austriæ

(*Sapidissimi ferculi*)

Naribus eorum sese ex Vicinia

Ingerente.

Et jam

Posonium videbantur,

Aut Jaurinum, aut Viennam

Spectare arma Supremi Vezirij,

Qui Budam appulerat:

Cùm RAYMVNDVS

Illaudato, quod ad Canisam

Zrinij Comites frustra suscepserant,

Opere,

Hostem invadendum potiùs in suo ratus;

Quantumvis Author fieret,

Ut Secundo Danubij tractu,

Uivarino, Strigonio alijsque deinceps

Danubio adsitis locis

In

In potestatem redactis,
Expeditio duceretur (si fieri posset) in Bosniam:
Milite, Annoxâ & reliquis
Quibuscunque ad victorias reportandas necessarijs,
Illac commodius defluxuris;
Immutare tamen fata non potuit;
Quò minùs
Obsideretur Canisa se absente:
Non methodicè,
Ideoque nec felici eventu:
Namque
Adveniente Vezirio,
Et
Obsidio illa soluta est,
Et
Zriniorum aggestum tumultuario opere
Ex arena Castrum
In manus ejus devenit,
Parvum quidem
Tantæ Expeditionis pretium,
Sed ingens famæ Christiadum vulnus,
Quod eundo crevit.
Donec RAYMUNDUS
Auctus, quas Imperium Galliaque
Submiserant, copijs,
Quanquam heterogenijs & heteroclytis,
Lapsam Restituit Rem.
Mox enim,
Ut Morigerum haberet
Et subditum sibi
Et tot

*E tot diversis Nationibus
Conflatum istic Exercitum,
Semet subjecit*

E X E R C I T U M D E O.

Votum votens devote

Redituum suorum

Decimas

Ejus supremo Numini

Fore in futurum sacras

In Egenos erogandas,

Si

Decumanam omnipotens Ejus Clementia

CÆSARI LEOPOLDΟ

Concellura esset de Communi Hoste

(Se administro)

VICTORIAM.

Inde

Christianitatis salutem

Supremam sibi legem statuens

Procul

Ab Æmulatione adversus Collegas,

Tametsi acriter impetus;

Procul

Ab Austeritate aduersus subjectos

Exemplo magis,

Quam potestate gubernans,

Antevertensque quotidie Turcarum

Consilia,

Et Vezirij conatibus constanter elisis,

Arabonem amnem

Quæ-

Quærentis traijcere,
Traijcentem demum ad S. Gothardi Fanum,

Et vincere incipientem,

Tantâ prudentiâ stitit,

Tantâ fortitudine retudit,

Tantâ constantiâ profligavit,

Ut ultra

Quatuordecim Barbarorum millia

Istic

Vel cæsa, vel suffocata aquis,

(Dixisse

Arabonis flumen,

Cadaverum syrtibus obstructum

Sanguineis tumuisse Vorticibus)

Ingentem illam

Et toti Mundo notam Victoriam

DEO sic favente,

RAYMVNDO adscriberent,

Per quam

Non Hæreditariæ Cæsarî Provinciæ tantum,

Sed &

Christianitas respiravit universa.

Uti enim fuerat

Universorum è periculo malum;

Ita & tunc facta est

Communis è re tam bene gesta salus.

Non tamen è minus,

Sic publicè felix **RAYMVNDVS**

Privatas sensit

Æmolorum acerbitates;

M

De

De quibus tamen
Tantò sibi confidentius
Gratulabatur
Ceu Virtutum satellitibus,
Quantò
Luculentior ei bene gestæ rei
Testis erat **LEOPOLDUS CÆSAR**
Operà Raymundi
TRIUMPHATOR
Cujus hæc sunt Imperatoria
Proprio pugno scribentis verba.

Caro Conte Montecucoli: con indicibile contento hò visto della vostra del primo d'Agosto il felice successo, e la grande Vittoria, ch'Iddio diede alle mie armi sotto la vostra condotta. E quest'è una Vittoria assai più grande, de quello credevamo: Se bene già lunedì feci subito cantar il Te Deum. ora posdimani farò far una salva alli bastioni: E perche così in questa, come in tutte l'altre vostre attioni mostraste il vostro valore, giunto alla prudenza & Isperienza, & in riguardo del vostro longo servire, & de tanti servizij resi, mi risolsi dichiararvi mio Tenente generale. Io con grandissimo gusto & consolatione vi fò questa gratia, & riposo intieramente sù la vostra prudenza, assicurandovi della mia gratia, e resto vostro clementissimo Signor

L E O P O L D O.

O salutiferum contra quovis

Zoilorum morsus

Antidotum!

O tutum Refugium!

A maledicentium fulmine

S U B

SUB ALIS AUGUSTÆ AQUILÆ!

Illi!

QUI primâ AUGUSTI die
AUGUSTAM hanc de Barbaris VICTORIAM
Reportavit AUGUSTO!

Meritissimo Jure factus

AVGVSTI LOCVM TENENS:

Quem

DEUS jam fecerat

Angelum Christiani Orbis Salvatorem,

Prosecutarum

Ultra flumen in victos Victoriam,

Si meris homogenijs membris

Constitisset hoc militare corpus,

Sed,

Quòd heterogenia ea essent,

Imō & heteroclyta,

Acquiescendum RAYMUNDO

Fuit renitentibus,

Ob fessum atque exhaustum inediā militem;

Indeque, Qui

BELLO VICTOR necessitatem Turcis

Optandæ imposuerat pacis;

Ejus conficiendæ etiam

Constitutus Arbiter,

Ut exemplum daret,

Quàm

Et de Hominum, quantumvis Barbarorum,

Animis aequa triumphare posse.

Ac armis,

Pacem

Pacem Victis dicit & impetrat,

Quasi imperet;

Clam tamen,

Secretis conditionibus:

Ut

Illorum necessitas temporum

Postulare est visa:

Quem animadversum

Suspecta agitari consilia,

Factionis Hungaricæ Croaticæque

Capita inter,

Et

Tum Christianitatis, tum Austriae

Hostes.

Firmata cum Turcis pace

Triumphum acturus

L E O P O L D V S CÆSAR

TOGAM induens,

Exuit SAGUM,

Sagaciterque contemplatus

P A L U D A M E N T U M CÆSAREUM,

AUGUSTIUS id esse deprehendit,

Quam

Quo solus tegetur AUGUSTUS

ABSQUE AUGUSTA:

Nec ornatus ejus elegans videbatur satis,

Quam diu deesset MARGARITA,

Hanc, ut insereret,

E longinquo petit,

Ubi solent Vniones legi,

MAR-

MARGARITAM EX HESPERIA
PHILIPPI REGIS FILIAM
SIBI TRIVMPHATORI SPONSAM.

Fiebatque clamor
In Augusta Domo
Augusti Sponsi
Medio Augusto:
Ecce Sponsa venit;
Exite obviam Ei:
Exite.

Cum mox
Superato Neptuni Regno
FINAL EM appulsuræ;

Primus,
Quem obviam ei Honoris ergo
Emitteret LEOPOLDUS TRIUMPHATOR,
TRIUMPHI AVCTOR
RAYMUNDUS FVIT.

Nempe,
Gentilitijs ejus hoc deferebat Aquilis
ROMANA AQVILA;

Ut
Aquilorum more,
Prævolaret ad Solem:
Ejus hoc tribuebat meritis
TRIUMPHATOR SPONSVS,

Ut
Suorum Protector finium,
Emensis varijs terrarum fnibus,
FINAL EM excurreret

N

AMO-

AMORIS CURSOR;
M A R G A R I T A M
Ad Maris Ligustici Litus
Excepturus PARANYMPHUS;
QUI MARGARITAM ORBIS
AVSTRIAM

Et Orbem ipsum
A Barbarorum Tyrannide
Nuper vindicaverat Miles:
Vbique Politicus,
Sive Militem consideres, sive Paranympnum.

Vis Exemplum?

Audi,

Privata cujuspiam
Magni Hispaniæ Ministri

Ambitio

Negabat RAYMUNDO confessum
Cæsaris Legato dignum:
Hunc scopulum ut elideret,
Abeundo declinavit confortium.

In digressu,

Rogabat fastuosè RAYMUNDUM talis,
Velit redux in Germaniam

Sua CÆSAREM amicitia facere certiorem.
Attonitus non pertinenti huc voce

R A Y M V N D V S,

Promptè mox oggerit,

Quin imo:

Ipsius MAJESTAS jam pridem
Tibi devovit humillima sua

Obse-

Obsequia:
Linquitque confusum;
Docens,
Non lingua minus Politicum,
Quam capulo Militem,
Scire se cum decoro
Sustinere MAJESTATIS DECUS.

Decorum ergo hunc Politicum
Politices Doctorem
Quid sequi poterat,
Nisi novum Decus?

AVREO VELLERE DONATUR
ABS HESPERIÆ ARGONAUTA
PHILIPPO REGE
NOVUS HIC JASON:

Qui

Efficacis Succi herbam
(Politices sapientiam)
Legens

Deluso fastuosæ, ideoque & fastiditæ
Ambitionis Monstro,
Rectâ devectus in Colchydem
Detraxisset

Hoc aureum Vellus:
Exantlatos ad eum diem labores
Coronaturus hoc vellere,
Quali linteo
Nullum aliud suavius
Aulico sudori tergendo.

Vix

Vix hunc RAYMVNDVS abstulerat,

Cum abs Hungariæ finibus
Jaurino revocatus à CÆSARE
(Gravi istic morbo defunctus)

Ut,

Cujus Locumtenens olim fuisset,
Illiis nunc fieret æque Successor.

In Locum HANNIBALIS
PRINCIPIS GONZAGÆ,
Supremi Bellici Consilij Præsidis

Vitæ functi

SUFFICITUR RAYMVNDVS PRÆSES:

Nempe;

Qui toties Victor,
Prudens semper direxit
Vacillantes saepius
In undoso periculorum Martium mari

Regum Naves,

Ad pacis portum;

HIC

Ponendus ad Clavum erat imposterum:

Quo velut è Specula,
Ne reinduerentur periculis,
Provideret.

Et certè,

Optimi Magistratū Ideam
In semet expressit RAYMUNDUS,

Cujus occupatio fuit indefessa:

Publicas curas

Nullo,

Aut

*Aut literario tantum otio interpellans,
Agere sape non visus,
Sed egisse:
Frugum more;
Quas
Crescere nemo videt,
Sed crevisse:
Deliciari si quandoque est creditus,
Tum
Inter occultos Reipublicæ nodos
Vel maxime fuisse sollicitum
Eventus docuit.
Ad quietem
Se composuisse nunquam dicendus,
Qui
*In ipsa quiete non descendit de specula,
Ut suaviter viverent alij,
Ipse laborabat;
Ut otia rentur alij
Occupabatur ipse:
Ut dormirent, vigilabat,
Nemo severiorem appellavit,
Dum puniret;
Nemo molliorem,
Dum parceret.
Facilis fuit,
Et authoritatem retinuit;
Severitatem exercuit,
Amorem non minuens.
Bonis concessit præmia;**

O

Data

Data non exprobravit
Malos offendit;
Iram in odium non convertit.
Personarum firmus amicus,
Vitiorum inexorabilis Hostis,
Virtutum Æstimator æquissimus.

Ubi videri poterat
Omnes perfecti Præsidis implèsse partes,
Remissionem sibi nondum indulxit.

Dixisset
Martialis Disciplinæ scrinium:
Adeo

In animo singula gerebat reposita,
Quæ professionis erant.

Dixisset
Experienciæ Promum & Condum;
Adeo

Tot annorum eventus,
Tot negotiorum decursus,
Tot bellorum pacisve vices & causas
Observavit, Tractavit, Absolvit.

Poteratque videri
Jam Alcedonia natus esse;
Et residere domi promeritus:

Adeo
Per omnes sui ordinis Honores,
Satisficerat
Virtuti, Famæ & Gloriæ.
Cùm accidit,

Ut

Poloniæ

Poloniæ Rex JOANNES CASIMIRUS,
Post

Exactos prope Omnes Hominum Status,
Rerum fastigiarum satietate laslatus,
Abdicato Regno,

CORONATUM CAPUT subijceret
Gallicæ Infulæ:

Regem cum Abbatे commutans,
Raro exemplo.

Viduatum inde Regni Diadema,
Cùm novum ambiret Procum,
Cujus caput ambiret;

Ne meritorium diu prostaret,
Varios inter, eosque Extraneos
MAJESTATIS Procos;

Versatâ diu à Proceribus Urnâ,

MICHAELEM WIESNOVICZIUM
VOLINIÆ PRINCIPEM,

Recépit REGEM,

REGEM ex Fratribus suis:
Domesticum, non Adventitium.

Penuria enim argumentum est

Quod aliunde adsciscitur:

Nec querit, quid foris nascatur,
Cui Domi sunt omnia.

ELECTUS PIASTUS Coronam accipere,
Coronantibus caput inclinat:

Inde occipiens ad MAJESTATEM ascendere,
Unde videbatur
Ad sui depressionem descendisse.

Collocatusque ita in Solio NEO-REX,

Ut

Tantæ sibi Fortunæ CONSORTEM adsciscat;

Illuc mox respicit,

Unde

VACILLANS NUPER FORTUNA REGNI
SOLIDITATEM RECEPERAT.

In AUSTRIAM mittit CULMENSEM EPISCOPUM,

Qui

ELEONORÆ MARIÆ CÆSARUM FILIÆ AC SORORI,
Offerat POLONIÆ CULMEN;
THRONUM REGIS ET THORUM.

Gratus ORATOR

Quod petivit, obtinuit,

SPONSAM AUSTRIACAM POLONIÆ REGI:
Repetito DOMUS Exemplo,

Quod cum ULADISLAO olim & CÆCILIA RENATA
FERDINANDORUM FILIA & SORORE

Meminimus celebratum:

Rescissis (Bonâ contrahentium pace) Spōnsalibus,

Quæ ILLAM inter,

Et Juliæ Montiumque Ducem,

PHILIPPUM WILHELMUM,

AUGUSTÆ IMPERATRICIS PATREM intercesserant.

Domesticum hoc FERDINANDI PATRIS Exemplum

Imitaturus LEOPOLDUS,

Ut vicinæ cum Polonis amicitiae

Firmior esset in futurum nexus,

Indissolubili eam illigavit Contractui,

Dato in foederis Obsidem AUSTRIACO SANGUINE

In

In SERENI AMORIS Pignus
ELEONORA MARIA SORORE SERENISSIMA.
Nec restabat jam aliud;
Niſi ut POLONIÆ JOVI
Adduceretur HÆC AUSTRIACA JUNO:
Eratque accincta MATER AUGUSTA,
Unà cum Filia MARIA ANNA ARCHIDUCISSA,
Futuræ Ejus Itineris Comites,
Quo FILIAM & SOROREM erant viſuræ
REGALI IN SOLIO.
De VIRO agebatur,
Qui tanti Itineris Prædux & Director
TANTAS ANIMAS jungeret.
Stabant gelu concreti Amnes & Fluvij:
Rigidiorque eâ Anni Tempeſtate, Bruma
Disjecerat Danubij Pontes,
Haud reparandos ullâ arte Pontificum.
RAYMUNDUS fuit,
Qui Tantæ Spartæ ornandæ
Electus à CÆSARE,
Danubium docuit
Dorſo glaciali portare MAJESTATES;
Uti ferre alibi maria juss'erat calcantium greges.
ILLE ILLE Viſchamenti duxit
Per ſubstratum AUGUSTIS PEDIBUS Flumen,
Duplicis Aulæ Ingens & meticuloſum,
Animarum Muliebrium Syrma:
Sequentibus longo ordine, graviꝝ onere,
Onerarijs Curribus, Equis & Quadrigis:
Quorum bajulare Juga doctus Danubius,

Año 1670.
Méſe Febr.

Mi-

Minerval etiamnum **R A Y M U N D O** debet.

ILLE ILLE traducto feliciter Amne,
Per Austriam, Moraviam, Silesiamque inde proiectus,

Tam commodis semper viarum distantij

Discrevit Majestatum Itinera,

Ut molestissimæ viæ vix sentirent molestias:

Quoadusque

CORAM CÆLICA DIVINÆ MATRIS MAJESTATE
CZESTOCKOVIÆ SISTERET MAJESTATES TERRESTRES.

Czestockoviæ factus ex Præduce

P A R A N Y M P H U S R A Y M V N D V S,

Ut cum decoro semper

Sustineret MAJESTATIS Decus;

Decorè consignat

Commissum Fidei suæ à MAJESTATIBUS PIGNUS
ELEONORAM MARIAM MAJESTATI

Regali mox Diademate Coronandam,

QUE CORONA FUTURA SPONSI REGIS ADVENERAT.

Sicque post factas Czestockoviæ

(In Cana ista Poloniæ)

Nuptias,

Cum plures jam MAJESTATES

R A Y M V N D V S istic adorasset,

Quàm adduxisset;

Poloniæ quidem suas transcripsit,

AUSTRIACAM AUSTRIÆ

Cum plausu restituit,

Fuissetque denuo Alcedonia meritus,

Et quiete frui:

Sed Turbata iterum

Impor-

(Importuno Gallicinio)
Germaniæ quies,
R OMANAM quoque **A QUILAM**
Inquietam reddens;

R A Y M V N D V M,
Revocavit ad Classica.

Namque in malè ordinato Ordinum Theatro
Castigaturus erat **L UD O V I C U S** Batavos:

Rogaveratque **LEOPOLDVM**,
Anno Sæculi septuagesimo secundo;
Ut Partium, medius spectaret scenam.

Et acceptaverat **LEOPOLDVS**
Conditionem hactenus,
Quamdiu

Publica inde Imperij salus,
Ab omni noxa
Servaretur innoxia.

L UD O V I C U S

Explicat in Leones signa Liligera,
Eo successu,

Ut unius, non duorum mensium spatio
Duabus potiretur Provincijs:

Munitonibus autem
Et Civitatibus in Provincijs
Quadragenis,

Civitates ferreis, Gubernatores aureis machinis
Quatiens.

Interpellatus inde **LEOPOLDVS**
Abs ipsismet Belgij Ordinibus,
Ut

Tecto

Tecto sub Vulpina pelle Gallo
Ne crederet,
Tendenti post suppressos
(Quos castigandos prætexeret)
Batavos,
Ad Europæ Monarchiam,
Hispanis
Aut voluntariè cœcis,
Aut cœcutientibus ex industria:
Quorum oculos
Austriacus,
Nescio, quis;
Glaucomate illiniverat,
Nescio Quo;
Inflecti se sivit
Ad privatas Batavorum preces,
Sub scemate publico pro se precantium,
Ut
Missis in Imperium pro Imperio,
Cujus quietem (contra datam fidem)
Violaverat Gallus,
(Brandenburgico Electore Proxeneta)
Copijs,
Ostentaret Gallicis armis Austriaca,
MONTECUCOLUM TURENIO:
Ostentaret scribo;
Quia
Politicum hoc magis, quam Martiale bellum,
(Quantumvis se CÆSAREIS ARMIS
In Weteravia ELECTOR conjungeret)

Vix ullam tamē patefecit
In Hostem Hostis plagam.
Stabatque Orbis attonitus,
Cujusnam in Caput condensaretur
Ea procella.

Cūm ecce RAYMUNDUS

Correptus Hemorrhoidibus

(Mortis satellitibus)

Padibornâ,

(Ubi invisus hybernare incepérat)

Norimbergam profectus est,

Valetudinem istic curaturus:

Inde

Viennam evocatus,

(Quamvis æmolorum ingratijis)

Bournonvillio ornandam Spartam destituit.

Videbaturque Is

Infigere Gallo plagam velle Susati,

Socio Electore:

Sed

Quia FRID-ERICUS WILHELMUS

Cognominem sibi Pacem

Præeligere fualus erat

A Gallo:

Cujus cantum vicinus Clivensibus

Metuebat Juliacensis Leo,

Se separavit **ABS AQUILA**

Separatâ pace:

Fecitque

Ut,

P

Qui

Qui se solus
Opponere jam amplius Turenio desperaret
Bournonvilius,

Is Viennam repeteret,

RAYMUNDUM *in subsidia revocaturus.*

Moxque iterum ELECTOR

Experientiâ doctus interea,

Quamvis Evangelicus,

Non esse Evangelia semper,

Quæ Gallus cantaret;

Qui

Verba daret factis contraria

Committens cottidie in Pacis leges,

Dum Imperio gravis,

Imperij etiam terras inundaret armis;

Exoratus iterum à Batavis

(*Utili perorante*)

CÆSAREM Ipse orat,

Ut

In noxium non jam Batavis tantùm,

Sed

IMPERIO GERMANO Gallum,

IMPERIALES immittat **AQUILAS**

Sociandas suæ;

Quæ

E fimo eum non suo depellant,

IMPERATOR

Audiens,

IMPERIUM Imperiale magis in futurum fore,

Quod

Unà

Unà secum Imperij hostem declarâset Gallum,

(Si paucos in eo Principes demas,

Quorum ibant in diversa sententiae)

Emittere denuo

AQUILAS decernit in Gallum:

Concedensque Ægram,

Ægris Imperij membris succursurus,

Vt

Aquila lustraret coram,

Quas

In Gallos immitteret,

Sex invénit & triginta millia,

Expansis alis & unguibus,

Ad eviscerationem Galli

Parata.

Et His denuo

CÆSAR RAYMUNDUM præfecit:

Ratus,

Nulli tutius confidi posse

Austriacas Aquilas,

Quam

Qui gentilitia arma gestaret,

Aquilis insignita.

Ductori dein & Ducendis

Bene precatus

Dimisit ad Escam.

Sicque RAYMVNDVS iterum occipiens

Quæ consummaverat sœpe,

Calcatam multoties viam

Novis iterum vestigijs insignivit,

Et

Et victorijs.

Ochsenfurtam ad Mœni ripam testor

Et Marco Bareitam:

Vbi

Turenium deprehensum

Cùm pararet in casles induere,

Declinantem configere exuit Castris:

Turenio deterente Stationem

Noctis silentio,

Quam

RAYMUNDUS occupavit diluculo:

Donec

Aßchaffeburgum profugus

Mœno istic superato

Observaret **RAYMVNDI** motus,

Sed IS

Signa dabat & Verba

Trevirim recuperare volentis,

Ducto

Per stratum uno die duplici ponte Mœnum

Lohræ

Moguntiam versùs Exercitu:

Et quia volebat,

Vt hoc constaret Turenio,

Narrabat vulgo.

Credens Famæ Turenius,

Transmisso ocyus Oppenheimij Rheno,

Quantò sollicitius

Itinera Campestria Trevirim dirigit,

ut **RAYMVNDO** prævertat,

Tan-

Tantò diligentius IS
Transitum Rheni Moguntiae urget & simulat,
Nunquam transiturus.
Quod autem
Oratus Elector Loci Princeps
Suum negaret militi traducendo pontem,
Gallorum metu;
Alium **RAYMVNDVS** fabricandum committit
Viro Principi,
Magnanimo ac solerti,
HERMANNO BADENSI &c.,
Rei tormentariæ generali Præfecto:
Monetque Sollicitus,
Velit
Optimis suis hucusque factis,
Adiçere hanc pontis fabricam
Auctarij loco;
Quam
Tantopere **CÆSARIS** servitia postulent;
Ut anteverti possit adventanti Tarenio prius,
Quam Is
Impediat traductionem Exercitūs.
PRINCEPS HERMANNUS
Semper impiger,
Impigrè satagens fabricandi pontis,
Noctes & dies intentus est operi:
Ipsi Pontifici minitatus suspendium,
Ni gnavus sit,
Probabatque

Q

Lau-

Laudandam Principis Viri
RAYMUNDUS Industriam,

Pontem curantis,

Cujus

Non erat istic futurus usus.

Namque aliam cudebat

Turenio **RAYMUNDVS** fabam.

Qui

Dum Ille trans Rhenum invigilat transituro;

Hic Pontem solvit noctis silentio:

Fartaſque peditatu & tormentis naves

Jubet secundo Rheno

Defluere ad Confluentes.

Quò

(Rhenani Mosellaniique Pontis

Abs Electore Carolo Casparo certus)

Cùm

Equitatum Ipse compendiosiori viâ

Per Montana, quantumvis aspera,

Deduxisset;

Per utrumque Traduxit,

Peditatum jubens navigijs sequi

Quo Bonnati obsedit,

Et expugnavit fere citius,

Quàm Turenius sciret,

Quò devenisset **RAYMUNDUS**

Sagax Strategus:

Magnis Hostem intervallis seponens,

Suaque agens ad Rhenum infra,

Dum

Dum
Alter otiantur ad Rhenum supra,
Ingens inter utrumque,
Chaos relinquens:
Turènio Ipso Stratagema laudante,
Ceu
A prudentissimo,
Et
Solertissimo Generali profectum:
Itaque redeunte Bonnâ,
Plura deinceps redierunt bona:
Nam,
Et plura infessa à Gallis
Per viciniam loca sunt dedita,
Et
Spatia hybernandi extensa,
Et
Batavorum Urbes ab invisis Incessoribus
Ultro emigrantibus liberatae.
Liberator autem RAYMUNDUS,
Rebus ita præclarè gestis & digestis,
Viennam evocatus,
Illuc Bonnâ abiens proficiscitur,
Ingenti CÆSARIS gratiâ exceptus,
Et
Populorum plausu:
Mansitque per annum,
Rerum eminus
Consilio Moderator ad Clavum,

Cul

Cui jam non dabatur
Cominus admoveare manus ad Capulum.
Souchius erat & Bournonvilius,
Quem demandabatur interim Rei summa:
Quam
Ille per Inferiorem Germaniam,
Hic in Superiore curabat:
Accuratae quidem,
Quis dubitet?
At minus feliciter, quod constat.
Ut autem
Certiores imposterum essent Victoriæ,
Victorem **RAYMUNDUM**
Tertiâ vice in Imperium
Amandat Imperator:
Haud fallente successu.
Sasbachiam Alsatia testor:
Ubi,
Ut imponeret **RAYMUNDUS** Turenio
Bellandi finem,
Imposuit finem vitæ:
Quippe,
Stantibus Exercituum signis
In procinctu,
Ut colliderentur,
Allitus terræ Turenius,
Ferali ictus Tormenti globo,
Exhalat animam:
Dum tubo prospicit à longè,

Quem

Quem pro scopo habeat, ut cædat;
Cadit Ipse.

Eo cadente, non steterunt cæteri:
Fugiunt;

Nec tamen effugiunt
Vindicem Nemesis Ensem.

Quem RAYMVNDVS vibravit;
Fugientesque infecutus ad Goldschiram,
Cecidit Millenos;

Nec viles inter hos Animas:
Testantur victi.

Neque enim
Solus volebat profici sci ad Cœlum
TURENIUS,

Qui
Per Imperium vagari solebat
Stipatus Agminibus.

Porro,
Ut ne elinguis quoque mortuus esse
Dici posset Turenus,
Qui Cor amiserat;
Hunc sibi Lessum cecinit.

Dum speculator mortes aliorum, propria fata
Negligo: Lynx alijs; sed mihi cœcus: abi.
Quâ autem contigisse putas hæc die Lector?
Nescis? dicam.

Prima fuit Augusti dies,
RAYMVNDO Fatalis ad Fortunam:

Quâ

R

AUGU-

AUGUSTAS pro AUGUSTO
Jam olim assueverat reportare Victorias.

Aggressus inde
Turenij Successorem
Condæum,
Condere se coëgit post Valla,
Quæ Schletstadij
Per integrum fere milliare condiderat.
Quòd post illa securè delitescere posset;
Gavilus:

Marte aperto
Congredi cum RAYMVNDO non ausus,

Sicque Autumnus ijt:
Post quem, quia tempus urgebat
Victori quidem,
Sed defesso Exercitui Missionem dare;
Martinalia dedit
Per Sueviam distributo:
Ut,

Refectis istic per Hyberna Corporibus,
Novas vires resumeret
In nova mox prælia suffecturas.

Ipse autem RAYMVNDUS
Denuo revocatus Viennam,

Ante,
Quàm viæ se committeret,
Ut omnia manerent serena;
SERENISSIMO
Commisit Exercitum

DUCI

DUCI LOTHARINGIÆ CAROLO,

Campi Mareschallo tunc declarato.

Appulsus Viennam,

Ut,

Velut ex primis Intelligentijs Una,

Politici hujus Cœli motus,

Longâ experientiâ observatos,

Sapientissimis suis Consilijs

Temperando dirigeret,

Affiduè adstitit Ejus terrestri D E O.

CÆSARI L E O P O L D O.

Huic Passavij aderat

Tertium Sponso:

Cùm læta tractanti

Tristis intervenit Nuntius,

Ægritudinem Conjugis referens,

Visuro funus Viennæ,

Nî ocyus advolet.

Volat ille quantocytus,

Ut ultimum in terris Vale

Abs Amata recipiat,

Sed ferò:

Jam tum enim evolaverat in Cœlum

ANIMA SANCTA PRIUS,

Quām

ADVOLARET RAYMUNDUS:

Relinquens mœsto triste Spectaculum,

Cadaver Optimæ.

Altum enimvero Vulnus

Infl-

Infixit RAYMUNDO

Funestus hic Casus:

Sed sapiens erat;

Sciebatque, ut lata, sic tristia ferre

Pari Constantia:

Nisi quod lata

Cum Republica soleret dividere;

Privatis parietibus tristia claudere,

Ratus,

Nullam jacturam sapienter doleri

Salva Republica:

Illâ neglectâ,

Nullum esse commodum suave.

Sed consolari Mœstum velle

Visum est Numen,

Cùm

Tantis tanti Viri Virtutibus,

Ut ne deesset ullum

Honoris fastigium;

Honorum omnium Apicem,

(PRINCIPATUS CULMEN)

Quod in Romano Imperio

(Plurium Electorum Principumque suffragijs)

Meruisset,

Hispania contulit:

Imponens ita Coronidem gratijs,

Quas

Pro tot ac tantis constanter præstitis

AUSTRIADUM AUGUSTÆ GENTI

Ser-

Servitijs

Sibi in acceptis referret

RAYMVNDVS PRINCEPS:

Qui

In hoc novo tamque alto fastigio,

Quo non erat,

Ut ascendere altius posset,

Non supercilium extulit, non animum:

Malens ingenitâ

Frequentiique jam usu roboratâ

Morum suavitate

Devincire sibi cunctos,

Quam fastidire gravitate exosâ.

Nullos sibi

Exercendæ Virtutis terminos ponens,

Author Parœmiæ,

Nec Arma, nec Purpuram

Nocere Virtuti,

Nec Virtutem Armis aut Purpura:

Ideoque Illam

Palam & constanter professus est,

Ne quis inhonestam putaret:

Docens exemplo,

In Armis esse facilem

Et pulchram sub Purpura.

Stabilitâ Neomagi Pace,

Ipsam examinabat Pacem, an Pax?

Ipsam Quietem, an Quies eslet?

Nî constans foret;

S

Sciens,

Sciens,
Séreno etiam Cœlo,
Horizontis Cardines
Prudenter circumspici,
Si fortè adhuc
Nubecula oberret Tempestatis Vestigium.
Gavisus tamen de obtenta Pace,
Visus diffidere ejus Constantiæ.
Ut Pestem declinanti CÆSARI
Adestet Consilio
Consilij PRÆSES;
Pragam secessit cum CÆSARE:
Mansitque Pragæ liber à Peste,
Quamvis fieret Ipsa Praga Pestifera:
Moriturus enim non erat Peste,
Qui gravem bellorum Pestem
Suppresserat toties
Linzium comitatus est CÆSAREM.
Fatale Linzium!
Huc
A Morte Conjugis
Ante fere triennium
Reexcitus A CÆSARE,
In eo erat,
Ut undis suffocaretur,
(Fatiscente Glacie)
Sub tanto Virtutū RAYMUNDIANARVM pondere;) 2
Ni Deorum DEUS
Imperasset Ipsio Amni
Absti-

Abstinere A TANTA ANIMA:
CUI

Non Charontis tunc Cymbā opus erat,
Sed JOVIS CURRU:

Non Plutoni tunc quidem sistenda

Sed CÆSARI.

Fatale Linzium!

Huc appellens,

Cūm Aulam intraret,

Deciduā è Tigno trabe

Offensus

Secundūm Humeros,

Vix non credebat

Prodromam hanc Mortis esse,

Memoriam ligni ingerens,

E quo quivisset Sarcophagus fieri;

Si falcem Vitæ ejus etiam immittere

Tunc licuisset Morti.

Sed hæc potestas dilata,

Non adempta,

Exercita in RAYMUNDUM

Alio quidem est tempore;

Sed

Non alio loco:

Quippe

In hunc annum servatus,

Delatusque cum CÆSARE Linzium,

Tot Munijs Ministerijsque functus,

Tot Honoribus clarus,

Tot

Tot meritis Dives,
Cùm
Vix restaret Negotium dignius,
Cui
Vitam in futurum posset impendere;
IN ITER ÆTERNITATIS IMPENDIT:
Septuagenarioque Major
Cùm mortis iterum Prodromos sentiret morbos;
Dispositis rebus terrestribus,
Cœlestibusque munitus,
Cum Morte ingreditur luctam,
Ipsimet adhuc Morti formidatus in Senio:
Neque enim ausa à fronte congredi,
HEROEM aggressa est ex insidijs,
Quas à tergo struxit:
Octobri Mense,
Vindemij destinato,
Ut Vindemiam sibi præpararet Mors;
Quia Vinum non bibt,
Sanguineam fecit:
Fatale Mustum!
Utens quippe Satellitum suorum
(Hemorrhoidam) operâ,
A Tergo exsuxit **RAYMVNDI** Sanguinem:
Senis Vitam,
At
Suge Mors immitis, suge:
Non sugillabis **HEROIS** FAMAM,
Quæ

RAY-

RAYMUNDI Ruinis

Inconculsa superstat.

Subtraxisti Terræ,

Qui vivit Cœlo;

Exuvias Ejus tumulatura,

Non Gloriam.

Inter Emortui cineres

Viventem Famam interroga;

Quæ Gloriæ ejus superstes

Æviternat in Orbe.

Vt Animam,

Corporis Sui

Septuaginta duobus annis

Et octo Mensibus sociam,

Redderet Conditori;

Devota inter suspiria,

Et Prolis amplexus,

Emoritur Linzij;

Decimâ sextâ Octobris Die:

In Pace in id ipsum

Dormiens & requiescens,

Vir aureus

Cui omnis ætas in ferro fuit,

Disce Viator

Moriendum est.

Nemo hic vincit,

Manus dedit RAYMUNDUS

Quantum Armatus?

Nil Virtus hic, Nil vires, Nil opes,

T

Nil

Nil genus possunt:
His omnibus abundabat RAYMUNDUS;
Et tamen jacet.
Lachrymis Manes riga,
Ne oblivione arescant:
Sic tibi sit tardè
Mors ultima linea vitæ.
Parentemus nos Ei Lector hoc lessu;
Quem
Epitaphij loco adscribimus;
Sed compendio:
Neque enim omnes Herois laudes
Capit angusta charta.



RAYMUNDUS



RAYMUNDUS hic jacet:

Cujus Virtute stant Reges.

Majores fortitus,

Quos tales decerent Posteri;

Fulgorem Natalium

Claritate Facinorum geminavit.

Puer literas,

Adolescens arma tractavit;

Vel cum ferre vix posset:

Nullum non laborem perpessus,

Seu cum militem disceret;

Seu cum gereret Ducem.

Proprijs meritis,

Gradatim

Omnibus Militiae honoribus Insignitus,

Et

Gradus omnes emensus

BELLICI CONSILII PRÆSES,

ET PRINCEPS FACTUS,

CÆSARIBUS REGIBUSQUE

Non semel Instrumentum Victoriae,

Sæpe securitatis causa;

Quam

Egregiè exercuerat

SUB

SUB FERDINANDIS Militiam,
AD LEOPOLDUM usque prostravit,

Strenuam quinquaginta annorum operam,
In gravissimis Bellis.

Et Expeditionibus præstítit.

LEOPOLDIQUE Auspicijs
POLONIAE DANIÆQUE REGIBUS,

Coronas refixit.

Pluresque irrigaturus Palmas

Bellici Sudoris Imbre;

Vistulæ eas,

Arabonis, Danubij, Mœni, Rheni,
Balthicique Maris plantavit in ripis:

Fractis eorum Cornibus

Bajulare jubens Exercituum Juga.

Thraciâ Lunâ,

Bellici litui carminibus excantatâ,

Barbarorum acinaces,

Germano Chalybe hebetavit;

Per suffocatorum aquis cadavera

Saliens in Triumphos.

Afflatos

Rebellionis turbine Subditos,

Ne excrecerent in aperta bella,

Suasit rebelles meti.

Ne subverteretur Germaniæ Cardo,

Et Romani Imperij Cataractæ,

Ne ruerent;

Ferreos plateos objecit & Valla.

Hector

Hector in Bello,
Janus in Pace,
Inter Politicos Christianus,
Inter Aulicos Pius,
Fortunatus sine ambitione,
Sine Superbia Eruditus,
Sine Supercilio prudens:
 Multorum annos,
 Plurimorum Gloriam supergressus,
 Nihil SIBI,
 Omnia Reipublicæ tribuens,
 Nec Favori decessit,
 Nec Invidiæ,
 Rarissimis Naturæ Dotibus,
 Subtili Spiritu,
 Judicio defecato,
 Factis præclaris,
 Cæsaribus Tribus,
 Togâ Sagoque Fidus & charus,
 In Bello Fortis,
 In Castris Vigil,
 In Tribunali propitius,
 In Consilio Præses,
 In Præside Sapiens,
 Omnium ad Bella pertinentium
 Moderator,
 Sed maximè SUI;
 Honorum gradibus annos,
 Menses præclarè gestis,

V

Dies

Dies pietate distinxit.

ILLE ILLE

Sideris instar,
Innixus Cœlo , lucet adhuc terris;
Et in animis hominum colitur.

Unius Uxoris Vir

Unius etiam Filij
(Sibi Simillimi)

Et trium Filiarum PATER.

Anno ætatis Septuagesimo tertio,
In Senectute bona,

Cælituum auctor,

Terrestrium Satur,

Hemorrhoidum fluvio

Linzij extinctus,

XVI. Octobris Die,

Plenus dierum,

Plenus Honorum,

CÆSARI Fidus,

Regnis laudatus , utilis Orbi,

Injurius Nemini,

Magno Sui relicto desiderio,

Viennam deductus,

In Societatis JESV templo

Quiescit in Domino.

PIE JESU DOMINE!

DONA EI REQUIEM

SEMPITERNAM.

Amen.

